



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 21. Papa ob prosperæ legationis Caraffianæ nuntium lætus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

## §. XXI.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1556.*Papa ob prosperæ legationis Caraffianæ nuntium lætus.*

Post hæc Cardinalis Caraffa Rebibam *Pallav. c. 19.*  
 alterum Legatum, quem jamjam *num. 5.*  
 Bruxellas adventasse credebat, de tota *Act. Consist.*  
 legationis serie certiozem reddebat, *27. Junii.*  
 hic vero lentius iter suum prosequi, ac  
 legationis, quam ejus socius in Gallis  
 subibat, exitum præstolari jubebatur,  
 ne Cæsari pacem inconsulte offerret,  
 cum forte bellum eidem nuntiare, in  
 Gallis decerneretur. Interea Caraffa  
 datis ad Pallianum Ducem fratrem suum  
 literis eidem significabat, quod Rex  
 propensum exhiberet animum, nec Pa-  
 pam tanquam pacis conciliatorem re-  
 spueret, ratamque haberet propositio-  
 nem ipsi factam de Concilio Romæ ce-  
 lebrando. Hæc Caraffæ literas dum  
 summus Pontifex perceperat, easdem  
 in publico Patrum Senatu recitari jussit,  
 ipse vero ad Nepotem suum in Fran-  
 ciam scripsit, eumque, ut rem urge-  
 ret, atque ad exitum deduceret, hor-  
 tatus est, simul tamen eidem significa-  
 vit, quod Hispanorum fidem sibi su-  
 spectam haberet, cum hi data omni  
 occasione eum vexare, ejusque aucto-  
 ritatem vilipendere quærent: hanc  
 in rem eidem in memoriam revocabat

B b 3

Sar-

Sæc XVI.  
A C 1556.

Sarriæ Marchionis, ac Cæsarei Oratoris violentiam; hic enim, cum ad venationem urbe egredi vellet, præsidariis vim inferebat, portamque effringi mandabat, eoquod Gubernator illam aperire renuisset. Postea Pontifex eidem exponebat, quod Hispani aperte Columnensibus faverent, eisque ad urbes, ex quibus tamen juste fuerunt depulsi, aditum pararent, necnon promulgato edicto omne commercium inter Papæ subditos, & Neapolitanos sub gravibus pœnis interdixissent. Denique eidem nuntiabat, quod Sanseverinatem Cardinalem Venetias ablegasset, dato negotio, ut hanc Rempublicam ad sua studia pertraheret, eisque ampla præmia ex Hispanorum spoliis polliceretur, si Italia per eorum vires Gallorum, ac Pontificis copiis junctas ab exterorum jugo, ac servitute liberaretur; addebat tamen, Venetos, quod neutri parti favere constituissent, hæc respondisse, simulque suasisse, ut Pontifex tanquam communis omnium Pater potius pacis consilia foveret, nec unquam permetteret, ut belli flammæ in Italia resuscitarentur, felixque hæc regio novis implicita tumultibus hostium suorum prædæ exponeretur.

§. XXII.